

Dabatur adhuc pulvis in eadem do-
si per tres septimanas, & hoc tempo-
re æger perfecte sanabatur.

Jam bini menses elapsi sunt, & non
rediit febris.

Fecit igitur *Aconitum*, quod nec cor-
tex peruvianus, nec aliud remedium
potuit efficere.

EXPERIMENTUM IV.

Virgo, viginti aliquot annorum,
jam in quintum annum habet tu-
morem tactu vere osseum, qui vix non
totam sinistram faciem occupat.

Immobilis est, & jurares, eum ex
ipsis ossibus excrevisse.

Sub maxilla inferiore multæ glan-
dulæ quoque tumebant, & erant scirr-
hosæ.

Motus maxillæ erat exiguus, valde difficilis, dolens.

Remedia fumme solventia, mercurialia, interne externeque applicata non tantum malum non mitigarunt, verum excitarunt simul tantos dolores, ut ægra dormire non potuerit.

Cicuta, per plures menses & magna dosi exhibita, malum nec auxit nec diminuit.

Nunc hæc ægra in tertium mensem utitur pulvere ex aconiti extracto, & saccharo, & tumor non solum mollior est, & hinc inde mobilis, verum jam longe plus quam dimidia pars ejus magnitudinis disparuit, maxilla est multo mobilior.

Noctu subinde hæc ægra copiose sudat, & tunc se levari sentit; cæteroquin nulla sensibilis evacuatio observatur.

Appetitus bonus est, vires integræ,
& somnus tranquillus.

Jam datur quotidie drachma una &
dimidia hujus pulveris; prorsus nil ma-
li observatur, & tumoris moles semper
minuitur.

Alvus segnis est, & ideo omni tertia
septimana exhibetur purgans ex granis
viginti salis polychrestii, & granis qua-
draginta pulveris radicis Jalapæ.

EXPERIMENTUM V.

FOemina, quadraginta aliquot anno-
rum, ob tumorem durissimum, ma-
gnitudinis ovi anserini, hærentem infra
parotidem dextram, per plures menses
utebatur cicuta; cum autem inde leva-
men non senserit, abstinuit.